

Quaestio III

An beatus unica duntaxat ratione in obiectum beatificum tendat?

Colligitur denique obiectum fruibile non sub eadem ratione movere intellectum et voluntatem, licet Beatus ad divinam personam sine essentia, sicut ad divinam essentiam sine personis, actum fruitionis nequeat terminare, ne dum possit una persona frui sine alia.

UTRUM BEATUS in obiectum fruibile, sive beatificum tendat sub una tantummodo ratione? Et videtur quod non, quia obiectum claudens in se diversas rationes formales irreducibiles ad se invicem ex sui natura hoc habet, quod in ipsum tendatur diversis rationibus. Obiectum fruibile est huiusmodi, ergo etc. Maior patet. Probo minorem, quia ratio divinitatis et relationis, quae includuntur in Deo, qui est obiectum fruibile, irreducibiles sunt ad se invicem, cum divinitas sit ad se et non ad aliud, relatio vero ad aliud et non ad se. CONTRA tendens in obiectum simplicissimum, tendit in ipsum tantummodo sub una ratione. Obiectum fruibile est simplicissimum, ergo etc. Maior patet, quia, ubi est rationum diversitas, non est summa simplicitas. Simplicius enim est quod est simplex re et ratione, quam quod est simplex tantum re. Minor etiam est nota, et theologice, et physice. Quod enim Deus sit summe simplex, expresse probatur 12 Metaphysicae¹. IN ISTA quaestione sunt quattuor videnda. Primo, utrum obiectum fruibile sub una ratione moveat tam intellectum, quam voluntatem ipsius beati. Secundo, dato quod non, videndum est, utrum ipsam voluntatem beatam moveat sub diversa ratione in tantum, quod actus fruitionis possit terminari ad essentiam divinam, absque hoc, quod [84b] * terminetur ad personam. Tertio, utrum possit terminari ad personam, sine terminatione ad essentiam. Et quarto, utrum possit terminari ad unam personam absque hoc, quod terminetur ad aliam.

QUANTUM ergo ad primum dicendum est quod, quamvis eadem res indistincta sit obiectum intellectus et voluntatis, hoc tamen esse non poterit sub eadem ratione, quia volibile ut volibile est alterius rationis, quam intelligibile ut intelligibile. Sed obiectum voluntatis est volibile, intellectus intelligibile, ergo etc. Maior patet, quia illa differunt, quorum unum manet, altero non manente. Sed manente ratione intelligibilis ut actu movet intellectum, non manet ratio volibilis, ergo etc. Maior patet per se. Minorem probo, quia idem homo heri intelligens vinum, et volens vinum, hodie intelligit vinum et non vult vinum, eo quod aliqua conditio bonitatis ex parte vini sit mutate. Ergo ratio intelligibilis manet, actu movens, et ratio volibilis non manet, actu movens. 2. Praeterea, Deus hodie intelligit hunc hominem, puta Socratem quem etiam heri intellexit, et tamen non amat eum hodie, quamvis eum heri amaverit. Ergo ratio amabilis, sive volibilis non est ratio intelligibilis. Antecedens patet, quia cessante hodie in Socrate bono morali, quod heri sibi infuit, Deus non amat hodie eum, quem heri amavit. Consequentiam probo, quia cum in Deo ab intra nulla cadat mutatio, ergo oportet quod volitionis cessatio et intellectionis continuatio, solummodo contingat ex diversitate rationum obiectalium, quarum una scilicet ratione volibilis cessante, cessat quo ad hoc Dei volitio; altera vero, scilicet ratione cognoscibilis permanente, dicitur quoad hoc Dei cognitio permanere. 3. Praeterea, si idem sub eadem ratione esset obiectum intellectus et voluntatis, tunc actus intelligendi et actus volendi essent eiusdem rationis, et specie non different. Consequens est falsum, ergo et antecedens.

¹ Tex. c. 49

Consequentiam probo, quia, ut patet 2 De anima,² actus distinguitur per obiecta, cum ergo idem quantum ad rem obiiciatur intellectui et voluntati. Si etiam idem quantum ad rationem eis obiiceretur, non apparet unde confingere possemus differentiam actuum ex distinctione obiectorum. 4. Praeterea, Deus intelligit malum culpae et non vult malum culpae. Ergo, idem sub eadem ratione non obiicitur intellectui et voluntati. Consequentia patet, quia rationes seorsum abinvicem reperibiles non sunt eadem ratio. SED CONTRA praedictam conclusionem est quisdam doctor³, qui ponit quod quodcumque aliquid obiicitur intellectui et voluntati, obiicitur eis sub eadem ratione, quia, si sub alia et alia ratione, aut una containeretur sub alia, aut ambae sub tertia, aut essent aequales, aut simpliciter desperatae. Non primo modo, quia potentiae sunt aequae abstractae, et ideo nec ratio obiecti voluntatis potest contineri sub ratione obiecti intellectus, nec econverso, quia in omne illud, in quod potest una, potest et * altera. Nec secundo modo, quia tunc non moverent ut duae distinctae rationes, sed magis ut una, quia moverent secundum convenientiam illam, quam haberent in illa tertia. Nec tertio modo, quia totum, quod intellectus intelligit, intelligit sub ratione sui obiecti, et omne, quod vult voluntas, vult sub ratione sui obiecti. Si etiam rationes istae essent totaliter desperatae, tunc voluntas de necessitate ferretur in non cognitum et intellectus in non volitum, quod est inconveniens. 2. Praeterea, cum voluntas et intellectus ferantur in idem obiectum, si sub diversa ratione moventur ab obiecto, aut istae rationes differunt realiter, aut sola ratione. Non primo modo, quia ens bonum et unum non differunt realiter ut probat Commentator 4. Metaphysicae contra Avicennam⁴. Nec secundo modo, quia rationes obiectales sunt priores actibus, quos causant in potentiis. Sed omnis distinctio rationis est posterior actu intelligendi, cum sine ipso fieri non possit. [85a] * Et confirmatur, quia cum rationes obiectales sint causa actuum realium in potentiis, si tales rationes essent constitutae per actum rationis, tunc sequitur duplex inconveniens. Primo, quia idem esset causa sui ipsius. Secundo, quia ens rationis esset causa entis realis. SED ISTA NON concludunt, quia si idem sub eadem ratione esset obiectum intellectus et voluntatis, intellectus et voluntas essent una indistincta potentia, saltem quoad nostram innotescentiam. Consequentia patet, quia distinctio potentiarum, quamvis causaliter non sit ex actibus, tamen non cognoscitur a nobis, nisi per distinctionem actuum. Et sic etiam intelligendus est Philosophus 2 De anima, cum ait: *Potentiae distinguuntur per actus*.⁵ Et quia actus distinguere et specificare non possunt, nisi ut sunt ab obiectis sub alia et alia ratione, ut patet in eodem secundo De anima, ergo de primo ad ultimum, indistinctam potentiarum notitiam, absque huiusmodi rationum distinctione nullatenus poterimus pervenire. AD PRIMUM ergo dicendum quod istae rationes aliquo modo se mutuo consequuntur, aliquo vero modo est in eis excedens et excessum. Nam, si voluntas et intellectus secundum istas rationes comparantur ad sua obiecta per actus proprios, tunc est in eis excedens et excessum, et hoc maxime in sensu composito, cum hoc verbum est praedicatur tertio adiacens. Nam ego volo me esse regem, non tamen intelligo me esse regem, quia non sum rex. Et quod non est, hoc intelligi non potest, ut patet primo Posteriorum. Item possum intelligere me esse turbatum, et tamen non volo me esse turbatum. In sensu etiam simplici intelligere excedit velle quantum ad actum positivum ipsius voluntatis, quia intelligo homicidium, et tamen non volo homicidium. Sed si una istarum potentiarum comparatur ad obiectum secundum rationem obiecti, non per actum proprium, sed per actum alterius potentiae, tunc nec est in eis excedens, nec excessum, sed in omni sensu se mutuo consequuntur, quia, si intelligo homicidium, tunc ego volo me intelligere homicidium. Si ego volo me esse regem, ego intelligo me velle esse regem, et sic de aliis. Patet ergo, quod argumentum procedit ex insufficienti divisione, quia istae rationes proprie loquendo non sunt desperatae, nec una est universalior alia, sed habent se modo iam dicto. Ad secundum dicendum

² Tex. c. 33

³ Gotfredus

⁴ Tex. c. 3

⁵ Tex. c. 33

quod istae rationes sunt originaliter in obiecto ex naturali fecunditate obiecti; non sunt tamen actu distinctae, nisi cum obiectum praesens fuerit potentiis supradictis, sed posita tali praesentia sine omni transmutatione facta circa obiectum, huiusmodi rationes, quae potentia fuerunt in obiecto et indistinctae, sunt actu distinctae, sicut posito quod non sit actu aliqua magnitudo, nisi una sola magnitudo pedalis, haec quamvis actu nec si aequalis, nec inaequalis, ex natura tamen sua potentialiter habet rationem aequalis et inaequalis. Cum possibile sit dare magnitudinem pedalem, respectu cuius habebit rationem aequalis, et tripedalem, respectu cuius habebit rationem inaequalis, quae si ponatur esse actu, tunc aequalitas et inaequalitas, quae in prima magnitudine fuerunt in potentia et indistinctae, sine omni transmutatione facta in tali magnitudine, erunt actu distinctae. Posset ergo dici quod minor non est vera, quia quamvis istae rationes non different realiter, sicut duo absoluta, differunt tamen ut duo respectiva. Ad probationem dico quod quamvis fundamentum sit unum et indistinctum, tamen respectus reales possunt multiplicari in eodem fundamento, iuxta multiplicationem terminorum huiusmodi respectus terminantium. Alii dicunt⁶, quod istae rationes, licet materialiter sint idem, differunt tamen formaliter, et ex natura sui. Hanc tamen opinionem non intendo ad praesens tractare usque ad distinctionem 6. Ibi enim respondebo motivis eorum, quibus probare nituntur huiusmodi formalitates in Deo et creaturis. EST ETIAM alius doctor qui ait quod obiectum fruibile [85b] * ad intellectum et voluntatem dupliciter potest comparari, scilicet in ratione moventis et in ratione terminantis. Primo modo dicit quod intellectui et voluntati obicit se sub eadem ratione. Sed secundo modo, sub alia et alia ratione. Probat primum unico medio sic. Quandocumque aliquod movens movet duo mobilia secundum quendam ordinem, puta unum mediante alio, tunc semper movet secundum per eandem rationem, per quam movet primum. Sed obiectum fruibile sic movet intellectum et voluntatem ad suos actus, quod volentem movet mediante intellectu, ergo etc. Maior probatur, quia, si moveret secundum per aliam rationem, tunc non moveret ipsum mediante primo. SECUNDAM CONCLUSIONEM concede, quia idem ego pono. Sed ista prima non videtur esse vera, quia ab eodem res habet esse et distinctum esse, ut patet 4 Metaphysicae et in pluribus aliis locis philosophiae. Sed secundum istum doctorem obiectum ut habet rationem moventis causat actum, et ipsum in esse producit, et ut terminat, dat sibi distinctum esse. Ergo, si sub alia, et alia ratione terminat alium, et alium actum, sub alia et alia ratione movebit ad alium, et alium actum. 2. Praeterea, cum isti actus per obiectum movens causati sint in illo priori, quod tu ponis antequam terminentur, vel sunt aliquo modo distincti, vel omnino indistincti. Si primo modo, cum secundum te nulla sit ibi distinction, nisi a distinctis rationibus, ergo obiectum ut movens, movet sub distinctis rationibus, et non sub una tantum, ut tu dicis. Si autem illi actus in illo priori sunt omnino indistincti, tunc actus intelligendi et actus volendi erunt unum chaos iam in esse productum, non tamen habens distinctum esse. 3. Item circularis erit distinction, quia tu ponis istas rationes potentialiter esse in obiecto, nec actu distingui, nisi cum isti actus terminati fuerint ad obiectum, et cum hoc ponis, quod ipsi actus specificantur et distinguuntur per hoc, quod terminantur ad obiectum sub distinctis rationibus, et sic rationes distinguuntur propter distinctionem actuum, et actus erunt distincti propter distinctionem rationum, quod est circulus manifestus, et idem erit causa distinctionis sibi ipsi. Maior etiam rationis suae non videtur esse vera, quia species lapidis movet intellectum mediante fantasia, et hoc secundum quendam ordinem, quia primo fantasia, et postea intellectum, et tamen non movet secundum per eandem rationem per quam movet primum, quia fantasiam movet sub ratione fantasiabilis materialiter ipsam immutando, intellectum movet sub ratione quidditatis intelligibilis spiritualiter ipsum immutando. Item, quamvis sol mediantibus planetis et aliis corporibus caelestibus moveat ista inferior, sub alia tamen ratione immutat superior, et sub alia ista inferior. Illa enim immutat intentionaliter, ista

⁶ Scotus

vero realiter, illa formaliter illuminat, multa vero de illis inferioribus non sunt luminis receptive, puta venae mineralium in corde terrae et cetera huiusmodi, quae sol suo lumine non contingit.

QUANTUM ad secundum principale dicendum quod beatus non potest frui divina essentiali, nisi fruatur personis, quia in tantum aliquid est fruibile, in quantum est bonum. Sed essentia divina cum tribus personis est tantum una bonitas, ergo et tantum unum fruibile. 2. Praeterea, solo ultimo fine beatifice frui debemus, sed essentia circumscriptis personis non habet rationem ultimi finis, quia non potest habere rationem summi boni, nisi prout habet esse divinum. Circumscriptis autem personis, iam non haberet esse divinum, immo nullum haberet esse, quia sibi non competit esse, nisi in tribus suppositis. Propter quod ait Augustinus 5 De trinitate,⁷ quod, sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus non sunt duo, vel tria principia, sic pari ratione non sunt duo, vel tres fines. 4. Praeterea, sicut se habet fruitio inordinata ad essentiam creaturae, sic se habet frui-[86a]-tio ordinata ad essentiam creatoris. Sed essentia creaturae abstracta a supposito frui non possumus, ergo nec divina. Probo minorem, quia circa essentiam sic abstractam, non possumus habere actum, nisi mere speculativum, omnes enim operationes sunt circa singularia, ut patet 1 Metaphysicae⁸ 4. Praeterea, quaecunque se aequaliter offerunt intellectui, aequaliter intelliguntur. Sed essentia divina et relatio divina aequaliter se offerunt intellectui beato, quia aequaliter sunt praesentes, ergo aequaliter intelliguntur et per consequens beatus simul et aequaliter ipsis fruitur. 5. Praeterea, manente eadem causa, manet idem effectus. Sed causa quare pater non potest videri sine filio est, quia idem sunt, ut patet per Augustinum primo De trinitate. Ergo cum essentia sit unum et idem cum persona ipsa, non poterit videri sine persona, nec per consequens poterit esse obiectum fruibile sine persona. SED CONTRA praedicta sunt quidam dicentes⁹ quod tam viator fruitione viae, quam beatus fruitione patriae possunt frui divina essentia, non fruendo persona. Primum probant sic. Illud quod viator potest distincte concipere, illo potest distincte frui maxime, si habet rationem puri boni. Sed essentiam, cum sit quid absolutum, potest distincte concipi a viatore, non concepta relatione, et per consequens non concepta persona. 2. Praeterea, naturali ratione potest viator concludere Deum esse summum bonum, et per consequens eo frui fruitione viae. Sed naturali ratione non potest attingere divinam personam nam, cum divina persona sit quid relativum et relativa simul cognoscuntur naturali intelligentia, si unam personam cognosceret naturali ratione, totam trinitatem cognosceret naturaliter, quod est impossibile. Ergo, attingendo ad Deum sub ratione summi boni, solum attingit divinam essentiam, et per consequens ipsa sola fruatur. Secundo dicunt isti quod, quamvis de facto beatus fruatur essentia cum personis, posset tamen fieri per absolutam Dei potentiam, quod beatus frueretur divina essentia sine fruitione personae, quia quandocunque aliquis actus respicit aliqua duo, unum tanquam obiectum primum, in quod principaliter tendit et a quo specificatur, aliud tanquam secundarium in quod solum tendit virtute primi obiecti, potest Deus facere, quod ille actus terminetur ad primum, absque eo, quod terminetur ad secundarium. Sed actus fruitionis respicit divinam essentiam, ut obiectum primum, sed trinitatem personarum ut secundarium, ergo etc. Maior patet, quia propter hoc potest facere Deus quod intellectus beati per actum suum terminetur ad divinam essentiam absque eo, quod terminetur ad creaturas, quae quasi secundaria obiecta relucunt in ea. Si enim Deus hoc non posset tunc videns divinam essentiam necessario videret omnia, quae relucunt in ea, quod est falsum, ergo etc. 4. Praeterea, quando aliqua sunt conceptibiliter distincta, Deus potest intellectum beati ducere in unum, non ducendo in aliud. Sed essentia divina et persona conceptibiliter distinguuntur. Illa minor multipliciter probari potest per diversa eorum dicta, quae in diversis locis ponuntur. Primo sic. Absolutum et respectivum sunt conceptibiliter distincta, sed essentia divina et persona divina sunt huiusmodi, ergo etc. Secundo sic. In isto

⁷ Cap. 8 tom. 3

⁸ In Prooem.

⁹ Scotus

signo originis, quo Pater praecedit Filium, Pater intelligit divinam essentiam; alias aliquam perfectionem acquireret ex productione Filii. Sed in isto priori non intelligit divinam essentiam in persona Filii quia tunc falsum intelligeret, cum in illo priori essentia divina non sit in persona Filii, ergo divina essentia est conceptibilis absque persona Filii, et pari ratione absque persona Spiritus Sancti et Patris. Tertio, quia essentia creaturae potest concipi absque persona, ergo et divina. Consequentia patet, quia maioris intelligibilitatis est divina essentia, quam creata. Quarto, quia a quo aliquid non capit entitatem, ab eo non capit intelligibilitatem, ut patet 2 Metaphysicae. Sed essentia divi-[86b]-na non capit entitatem a personis, sed magis econverso, quia proprietates non dant aliquod esse ipsi essentiae, ergo divina essentia est per se intelligibilis. Quinto, quia quod habet per se sine aliis rationem veritatis, habet per se sine aliis rationem intelligibilitatis, cum verum sit obiectum intellectus. Sed divina essentia per se sine personis habet rationem veritatis, cum veritas sit perfectio simpliciter. Nulla autem perfectio simpliciter inest essentiae per personas, sed econverso inest personis per essentiam. Sexto, quia quicumque intellectus negat praedicatum aliquod de aliquo subiecto, necesse est ut habeat alium conceptum de praedicato, et alium conceptum de subiecto, alias negaret idem de seipso. Sed intellectus beati potest dicere quod essentia non est persona, saltem secundum rationem, alias essentia et persona non different ratione. Ergo, potest habere alium conceptum de essentia, et alium de persona. 7. Praeterea, quando aliquis intellectus idem praedicatum vere affirmat de uno subiecto, et vere negat de alio, necesse est ut alium conceptum habeat de uno illorum subiectorum, et alium de alio. Sed intellectus cuiuslibet beati vere dicit essentiam divinam esse personam Filii, et vere negat personam Patris esse personam Filii, ergo alium conceptum habet de essentia et alium de Patre. Et quicquid per modum summi boni beatus distincte potest concipere, illo distincte potest frui, ergo per haec septem media semper potest concludi quod beatus distincte potest frui essentia divina.

SED DICTUM istius doctoris non videtur esse verum, quia cognitio beatifica non potest esse imperfect. Sed cognitio essentiae sine propriis suppositis est imperfecta, quia abstracta et confusa. 2. Praeterea, secundum istum doctorem, visio intuitiva est rei existentis ut existens est, et praesentis ut praesens est. Sed notitia beatifica secundum eundem doctorem est notitia intuitiva, cum ergo divina essentia non sit praesentialiter existens, nisi ut est in tribus suppositis, ideo ex dictis istius doctoris convincitur quod beatus nec beata visione, nec per consequens fruitione poterit attingere essentiam divinam, ipsam a personis praescindendo. 3. Praeterea, nihil potest cognosci intuitive, nisi omnia in eo contenta, maxime quae sint realiter distincta, distincte cognoscantur. Sed in divina essentia sunt tres personales proprietates realiter distinctae. 4. Praeterea, impossibile est, essentiam divinam beatifice concipi sine eo, quod per se et non per accidens facit ad beatitudinem obiective. Sed personae divinae sunt huiusmodi, ergo etc. Maior patet. Minorem probo quia, si personae divinae per accidens facerent ad beatitudinem, tunc non magis beatificum esset videre personas divinas in divina essentia, quam ipsas creaturas relucens in essentia, quod est absurdum, et contra Augustinum 1 De Doctrina Christiana,¹⁰ ubi ait: *Res, quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, trinitas unus Deus*. 5. Item, quaecunque persona per se non spectat ad obiectum fruibile, illa adoranda non est adoratione latrae, ut patebit in 3 libro.¹¹ Ergo, si tres divinae personae non per se facerent ad beatitudinem, non deberemus sanctam trinitatem adorare adoratione latrae, quod nimis esset periculosum tenere, et per consequens periculosa esse videntur ex quibus ista sequuntur. SOLVENDO ergo rationes eorum, de primis duabus non curo, quia non video ex hoc sequi aliquod inconveniens, si ponatur quod viator obscure cognoscens divinam essentiam ex fantasmate rerum creaturarum, quae est cognitio abstractiva et imperfecta, etiam ipsa fruatur fruitione imperfect. Qui tamen hoc nollet tenere habet negare minorem primae rationis, dicendo

¹⁰ Cap. 5 tom. 3

¹¹ Dist. 9

quod, licet determinate non cognosceretur illud suppositum esse relativum, tamen, sicut obscure cognosceret essentiam, sic obscure et indeterminate cognosceret suppositum illius essentiae. Et eodem modo dicendum est ad minorem illius secundae rationis, quia, sicut naturali ratione obscure cognosceret divinam essentiam, sic obscure et indeterminate cognosceret divinam personam. Nullus enim ita demens est, qui [87a] * istud summum bonum, quod omnium bonorum optimum concipiat per modum accidentis, sed magis per modum per se existentis, qui conceptus immediate implicat conceptum suppositi, quamvis non determinati, puta absoluti, vel relativi. Ad tertium dicendum quod maior non est vera universaliter loquendo eo modo quo ipsi eam assumunt, quia Deus non posset facere quod cognitio sua terminaretur ad essentiam suam, ita quod non cognosceret creaturas, quamvis creaturae sint suae cognitionis obiectum secundarium, et essentia sua primum. Etiam minor non est vera, nam obiectum primum differt realiter a secundario, quia ordo realis requirit extrema realiter distincta. Sed inter obiectum primum et secundarium est ordo realis, maxime quando ambo ponuntur esse actualiter, et non solum possibiliter, non enim potest fieri per actum rationis, quia ordo obiectorum potentiae intellectivae naturaliter praecedit actum potentiae, cum actus talis innascatur ex obiectis. Si ergo essentia divina esset obiectum primum, et personae essent obiectum secundarium, tunc realiter differret essentia a personis, et sic haberemus quaternitatem realem in divinis, quae est damnata extra de Summa Trinitate et fide catholica capitulo *Damnamus*. Ad quartum dicendum quod maior ad praesens propositum nihil valet, quia quando aliqua conceptibiliter differunt, quae tamen sunt idem realiter omnino, tam actu, quam potentia, tunc quamvis abstractivae et obscure unum possit cognosci sine alio, non tamen intuitive, et per consequens nec beatifice, quia quae omnino sunt idem realiter, viso uno perfecte et intuitive, necessario videtur et alterum perfecte et intuitive. Cum ergo argumentum istius doctoris procedat de visione beatifica, quae non potest esse nisi perfecta et intuitive, et divina essentia sit omnino realiter idem cum personis. Ideo dato quod differunt conceptibiliter, ad huc tamen nulla potentia fieri posset, quod essentia beatifice videretur absque personis. Etiam minor potest negari. Ad cuius intellectum est advertendum, quod aliqua differre conceptibiliter, potest dupliciter intelligi. Uno modo, quod habeant perfectos conceptus distinctos, quorum unus perfecte possit inesse ipsi concipienti alio excluso, et sic divina essentia et personae sive etiam proprietates non differunt conceptibiliter; quia quicumque perfecte concipit divinam essentiam, ille etiam perfecte concipit divinas personas cum suis proprietatibus relativis. Alio modo, potest intelligi aliqua differre conceptibiliter ex eo quod quis obumbrata intelligentia hic in via, incomplete concipit unum, alterum non concipiens. Et sic concedo quod absolutum et relativum differunt conceptibiliter etiam in divinis. Ex hoc autem non potest concludi quod beatifice videatur unum, altero nondum viso, et per hoc patet quid sit dicendum ad primam probationem minoris. AD PROBATIONEM secundam dicendum quod in nullo signo prioritatis intelligit Pater essentiam divinam, in quo non intelligat eam Filius, quia vel loqueris de intelligere, ut est actus essentialis, et sic est commune tribus personis. Illud enim intelligere nunquam fuit in Patre, quin idem intelligere esset in Filio et Spiritu Sancto eodem signo, quo fuit in Patre. Vel loqueris de intelligere notionali, quod quidem intelligere, cum sit relativum, et relativa simul sint natura et naturali intelligentia, sequitur idem, quod primo scilicet quod Pater in nullo signo intellexit, in quo filius non intellexit. Et cum additur quod, si Pater in illo signo prioris non intelligeret essentiam, tunc aliquid acquireret ex productione Filii, ista argumentatio est ita contra te, sicut contra quoscunque alios, quia, si esset tale prius in divinis, vel in illo priori, Pater intelligeret Filium, et tunc intelligeret essentiam divinam in Filio, quod tu negas, et eodem signo prioritatis Filius intelligeret eandem essentiam in se et in Patre, vel in illo priori. Patet non intelligeret Filium, tunc ipse Pater acqui-[87b]-reret aliquid ex Filio in esse product, quia intelligeret eum, quem primo non intellexit. Et ideo dicendum est cum Augustino et Athanasio, et ceteris sanctis doctoribus, quod in divinis, nec est prius, nec posterius, sed totae tres personae coeternae sibi sunt, et coaequales. Prioritas enim originis in Patre non dicit aliquam

praecessionem, nec posterioritas originis in Filio dicit aliquam successionem, sed totalem concernunt simultatem. Non enim attenditur hic prioritas in habendo rem, quae est divina essential, sed tantummodo in modo habendi eam, quia Pater habet omnia, quae habet a se, et non ab altero. Filius autem non a se, sed ab altero. Propter quid ait Augustinus contra Maximinum Libro 3:¹² Cum dicitur Filius a Patre genitus, ostenditur ordo, non quo alter sit prior altero, sed quo alter sit ex altero. Ad tertiam probationem dicendum quod loquendo de conceptu cognitionis intuitivae, tunc antecedens est falsum, quia secundum istum doctorem, nulla potentia fieri potest, quod natura rei intuitivae cognoscatur, nisi prout actualiter praesens existit, quod sine supposito esse non potest. Si autem loquaris in antecedente de conceptu cognitionis abstractivae, tunc consequentia est falsa, quia, ut superius probavi, divina essentia non potest perfecte cognosci, nisi intuitive cognoscatur. Etiam in proposito loquimur de beatifica cognitione, quae necessario est intuitiva. Ad quartam probationem dicendum quod, licet essentia divina non habeat entitatem et intelligibilitatem a personis causaliter, ita quod personae sint causae entitatis essentiae, tamen ad hoc quod essentia sit ens et intelligibilis, necessario coexigit personas, quae sunt idem realiter quod ipsa, et sine quibus impossibile est eam esse. Est enim diligenter notandum quod, licet naturae creatae non repugnet perfecte concipi sine actu esse, et ut possibilis est ad esse, cum ipsa non sit suum esse, quia non est purus actus; hoc tamen divinae essentiae totaliter repugnant. Ipsa enim cum sit purus actus, non potest perfecte concipi, nisi sua actualis existentia concipiatur et per consequens concipiatur divina persona, sine qua divina naturam actu existere est impossibile. Ad quantam probationem dicendum quod maior est vera, si habet a se veritatem et sine aliis tam causaliter, quam coexigenter. Ad minorem dico quod divina essentia non habet suam veritatem sine personis, saltem coexigenter, divina enim essentia, circumscriptis personis, haberet minus esse, quam essentia cuiuscunque creaturae, suo supposito circumscripto, quia essentiae creatae non repugnat esse possibile distinctum contra esse actuale, sive contra actualement existentiam suppositi. Sed circumscripto esse actuali a divina essentia, et ipsa posita in esse possibili, ipsa divina essentia non plus haberet de entitate, veritate, vel de quacunque alia perfectione, quam chymera, cum ipsa secundum sui naturam sit purus actus, qui ab actuali existentia, et per consequens ab esse personali circumscribi non potest, nisi per falsum intellectum, vel saltem per intellectum fictum. Ad sextam probationem dicendum quod, si in maiori intelligas quod habeat distinctum conceptum sic, quod possit concipi primo non concepto, tunc maior est falsa, unum enim relativorum vere negatur ab altero, et tamen unum non potest concipi sine altero. Ad minorem dico quod, dato quod essentia habeat alium conceptum a persona, tamen ratione suae actualis existentiae, a qua absolvi non potest suus conceptus, loquendo de conceptu perfecto, necessario coexigit conceptum personae, sine qua impossibile est essentiam divinam actualiter existere. Per idem patet ad septimam probationem.

QUANTUM AD TERTIUM principale dicendum quod beatus non potest frui divina persona, nisi fruatur essential, quia sine illo beatus non potest frui divina persona, sine quo persona non potest esse, vel intelligi. Sed sine divina essentia persona divi-[88a]-na non potest esse, vel intelligi. Praeterea, obiectum fruibile debet habere rationem summi boni, sed persona divina, circumscripta essentia divina, non habet rationem alicuius boni. Praeterea, obiectum fruibile habet rationem perfecte quietativi animae rationalis, sed relativum sine fundamento, etiam dato quod posset concipi, nullatenus quietaret. Contra istam conclusionem nullus doctor assumpsit quod ego sciam, ergo hic transeo.

QUANTUM ergo ad quartum principale dico quod beatus non potest frui una persona divina, nisi fruatur et altera, quia ipse non potest cognoscere perfecte unam sine alia, ergo nec frui.

¹² Cap. 14

Antecedens patet, quia nulla potentia potest fieri quod unum relativum perfecte cognoscatur, altero non cognito. Esset enim contradiction, quia sequitur quod esset relativum, et non esset relativum, et eodem modo dicitur frui. 2. Praeterea, in quibus est una, et penitus indistincta ratio fruibilitatis, illa quo ad actum fruitionis, circa ipsa eliciendum non possunt ab invicem separari, sed ratio summe bonitatis, quae est ratio fruibilitatis, est una et indivisa in tribus personis. 3. Praeterea illa, quae non possunt seorsum cognosci cognitione abstractiva et imperfecta, non possunt abinvicem separari cognitione intuitiva, quae est omnino perfecta, duo relativa sunt huiusmodi, ergo. Maior patet, quia quamvis intellectus secundum abstractivam notitiam possit separare illa, quae in re ad extra sunt unita, ut patet per Commentatorem 12 Metaphysicae.¹³ tamen hoc non potest fieri secundum notitiam intuitivam, qua fertur intellectus super rem secundum propriam, et actualem suam existentiam. Cum ergo personae divinae sint relativae, et notitia fruitiva sit intuitiva et perfecta, ergo etc. 4. Praeterea, si beatus frueretur una persona sine aliis, aut frueretur illa persona ut absoluta, aut ut relativa. Si primo modo, tunc cognitio praevia beatae fruitioni esset falsa simpliciter, cum in divinis nulla sit persona absoluta. Si secundo modo, sequitur quod relativum, ut relativum, cognoscitur sine notitia sui correlativi, quod est impossibile, cum relativa, ut relativa, sint simul natura, et naturali intelligentia. 5. Praeterea, obiectum fruibile quietat voluntatem. Sed voluntas beati non potest ab una persona quietari sine alia. Maior patet, minorem probo, quia quod est quietatum, non amplius est quietabile. Ergo, si voluntas esset quietata in una persona, non esset quietabilis ab alia, et per consequens ita beatificaretur ab illa, quod non esset beatificabilis ab alia. 6. Praeterea, si beatus divinis personis potest frui distinctis fruitionibus, aut illae duae fruitiones sunt simul compossibiles, et tunc duo accidentia eiusdem speciei erunt simul in eadem potentia, quorum utrumque adaequat totam capacitatem potentiae; vel sunt impossibiles, et tunc neutra erit fruitio beata, quia de ratione actus beatifici est, quod sit perpetuus. Et ista est expressa beati Augustini intentio, qui primo De Trinitate ait: *Hoc est plenum gaudium, quo amplius non est, frui trinitate * Deo*¹⁴. Et eodem libro ait¹⁵: *Sive audiamus, Domine, ostende nobis filium, sive audiamus, ostende nobis Patrem*. Tantumdem valet, quia neuter sine altero potest ostendi, unum quippe sunt, sicut ipse ait, *Ego et Pater unum sumus*. SED OPPOSITUM illius conclusionis ponit ille doctor, cuius dicta sunt paulo ante recitata et improbata, et illud probat primo de viatore, quia illis potest viator distincte frui, quae a viatore possunt distincte cognosci. Sed unam personam potest viator distincte cognoscere sine alia, cum respectu personarum sint distincti articuli fidei, aliqui enim respiciunt Patrem, aliqui Filium et aliqui Spiritum Sanctum. Cum ergo quaelibet divina persona habeat rationem summi boni, ergo. 2. Praeterea, ecclesia instituit distinctas orationes, aliquas ad patrem dirigendo, aliquas ad filium, [88b]* aliquas ad Spiritum Sanctum. 3. Praeterea, si instatur quod personae sunt relativae, et ideo non potest quis una frui sine alia, respondent quod relativa oppositio, quo ad hoc non obstat, quia creator et creatura relative dicuntur et tamen fruimur creatore et non creatura. Dicunt etiam quod beatus potest de absoluta Dei potentia frui una persona, non fruendo alia. Rationes autem, quibus hoc probant, omnes tactae et infirmatae sunt per solutiones positas contra rationes eorum in secundo principali, et ideo hic transeo. Formabo tamen duo sophismata ex dictis eorum. 4. Si aliqua esset repugnantia vel contradictio, frui beatum una persona sine alia, hoc maxime esset pro tanto, quia, cum sint relativae, una sine alia intelligi non potest. Sed hoc non obstat, quia Pater ut Pater non refertur ad Spiritum Sanctum, ergo Patri ut Pater est non repugnat, quin possit intelligi sine Spiritu Sancto, et per consequens non repugnat, quin voluntas beati eo possit frui, sine Spiritu Sancto, et eodem modo de Filio respectu Spiritus Sancti. 5. Praeterea, una persona potest terminare realem carnis assumptionem, quam non terminat alia. Ergo, una persona potest terminare veram cognitionem, quam non terminat alia. Antecedens patet ex fide, consequentia

¹³ Com. 39

¹⁴ Cap. 8 tom 3

¹⁵ Cap. 1

videtur esse nota de seipsa. SED NEC ISTA concludunt, quia, si quacunque potentia beatus frueretur una persona, non fruendo aliis, tunc actus illius fruitionis, vel erit perfectus, vel imperfectus. Si primo modo, tunc superflueret ad beatitudinem actus circa alias personas, quod est contra Augustinum in principio De Doctrina Christiana, ubi ait¹⁶: *Res quae nos beatos faciunt sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus*. Si secundo modo, tunc qua ratione actus circa illam personam esset imperfectus, eadem ratione circa alias esset imperfectus, cum non sit maior bonitas in aliis personis, quam in illa prima. Et sic actus fruitionis beatae circa totam trinitatem esset imperfectus, et per consequens non esset actus fruitionis beatae, quod est contradictio, actus enim beatificus non posset esse imperfectus. Quantum ad illa dicta de viatore, non facimus magnam vim, quia, sicut sua cognitio est imperfecta, sic et sua fruitio, et ideo sine omni inordinatione posset viator ex aliqua devotione quandoque invocare patrem, non explicite faciendo mentionem de Filio, vel Spiritu Sancto; et pro illa morula Patri posset amative inhaerere, quod large loquendo frui potest appellari, et sicut dixi de Patre, sic fieri potest de Filio et Spiritu Sancto. Sed quicquid sit de hoc, dico tamen quod rationes illius doctoris, vel non concludunt, vel sunt contra propria dicta sua. AD PRIMUM ergo dicendum quod, sicut explicite et perfecta notitia non potest intelligi Pater, nisi intelligatur Filius, sic explicite et perfecta notitia non potest apprehendi articulus de Patre, nisi apprehendatur articulus fidei, qui est de Filio. Et cum additur quod quaelibet persona habet rationem summi boni, dico quod unum summum bonum est aequaliter in omnibus tribus, et ideo una sine alia perfectae frui non possumus. Ad secundum dicendum quod, quamvis aliquae orationes ecclesiae quandoque in principio, vel in medio dirigantur ad unam personam, semper tamen concludunt in fine de tota trinitate, ratione unius bonitatis fruendae, quae in divisa est una in omnibus tribus personis. Ad tertium dicendum quod non valet responsio ad instantiam, quia creator non refertur ad creaturam realiter, sed solum secundum rationem, et ideo non est simile, cum una persona realiter ad aliam referatur. Item, non est aliqua una bonitas communis creaturae et creatori, ratione cuius fruamur creatura, cum fruimur creatore, sicut est una summa bonitas trium personarum. Ad quartum dicendum quod ibi est peccatum acceptionis non causae pro causa: dimittit enim causam principalem, quae est existentia unius summae bonitatis fruendae in tribus per-[89a]-sonis, et tangit illud quod est accessorium, puta relativam oppositionem. Etiam potest dici ad minorem quod, licet Pater, ratione paternitatis, non dicatur relative ad Spiritum Sanctum, refertur tamen ad ipsum, ratione spirationis activae, quae realiter est in Patre, sine cuius cognitione persona Patris intuitive non potest cognosci ab ipso beato, et per consequens non potest persona Patris beatifice cognosci, nisi cognoscatur persona Spiritus Sancti. Et eodem modo de Filio. Ad quintum nego consequentiam. Et ratio negationis est quia visio beatam principaliter terminatur ad essentiam divinam, prout actualiter existit in tribus personis, ergo huiusmodi visio non potest terminari ad unam personam, nisi terminetur ad alteram. Sed assumptio humanae naturae principaliter et immediate terminatur ad personam divinam. Et si terminatur ad essentiam, hoc non est, nisi mediante persona. Cum ergo inter personas divinas sit realis distinctio, ideo praedicta assumptio ita potest terminari ad unam personam quod non terminabitur ad aliam. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod non quaelibet ratio est ratio obiecti fruibilis et beatific, sed tantummodo ratio summi boni. Sed relatio, ut divinae essentiae secundum suum propriam rationem condistinguitur, non habet rationem summi boni, hoc enim solum competit ei ut identificatur essentiae divinae, et non ut sibi condistinguitur; et ideo non sunt in divinis duae rationes fruibiles, sed una tantum, ubi enim unum propter alterum, utrobique tantum unum. FORTE DICERET aliquis quod bonum dicitur aequaliter enti, ut patet primo Ethicorum. Sed relatio divina est verum ens, ergo est vere bona. Cum ergo sit increata, ergo est bonum increatum. Nunc autem ita est, quod bonum increatum est proprium obiectum

¹⁶ Cap. 6 tom. 3

fruitionis. RESPONDEO dicendum quod, sicut divina relatio non habet distinctam entitatem ab essentia, sic non habet distinctam bonitatem ab ipsa, ergo etc.

Brevissima postremae particulae huius distinctionis subdivision, in qua Magister horum voluminum materiam epilogans, dicendorum ordinem artificiose insinuat.

OMNIUM ERGO, QUAE DICTA SUNT etc. Postquam Magister in littera trium praecedentium lectionum istius primae distinctionis investigavit materiam sui libri divisive et diffinitive, nunc in isto ultimo capitulo eiusdem distinctionis investigatae resumat epilogando, et dividitur in duas partes, quia primo Magister facit recapitulationem praedictorum. Secundo insinuat ordinem dicendorum, ibi: *De quibus omnibus antequam de signis*. Et haec est divisio et sententia illius capituli in generali. Circa quod quaero in speciali. [89b] *